~~107~~ 184

Viro Amplissimo Celeberrimoque

Carolo Morgenstern

S. P. D.

Gabriel Palander.

Pro singulari Tuo nostrarum rerum studio, cujus plurima vel nuper nobis exhibuisti specimina maximas Tibi gratias agimus. Quod ultimâ Tuae Epistolâ nondum responderim, ne id quaeso aegre feras Vir Humanissime. Cujus morae multae erant causae, haec vero praecipua, quod paululum cunctando id memet consecuturum sperabam, ut subscribentium editis a Te Symbolis Dorpatensibus haud pauca nomina reddere Tibi possem. Ast hanc spem, quamvis eâ minime exciderim, nondum esse ex-

184v

tam, nullum mihi conscius culpæ doleo. Unum ipse aveo recipere ejus Libri exemplum, pecuniam altera occasione, nec non reliqua, ubi innotuerint, subscribentium nomina missurus.

Dissertationis de Methodo Analytica et Synthetica Exemplum, quia Te velle habere Epistola significasti, libens adjunxi. Nunc continuare lucubratiunculam in animum haud induxi. Erat paucissimorum dierum opus, quod, quia urgebant tempora nostra, accuratius elaborare nobis non licuit. Misi simul exemplar Dissertationum Mathematicarum a nobis editarum, quas, si Tibi minus placeant, cuicunque earum rerum curioso tradere possis.

Significavit unus ex collegis semet (reficiens quo casu) suum exemplum fasciculi ~~tertii~~ secundi Itineris Tui Italici perdidisse. Quare ~~a~~ nobis rogat, ut a

185

Te quæramus, an singulos emendi fasciculos a=
pud Te detur copia, si forte amissum reperire
fasciculum ei non contigerit.

Vale Vir Amplissime idemque Humani-
ssime, rebusque nostris favere perge.
Dab. Aboæ d. XIII Nov. n. st. 1813.

Viro Amplissimo Celeberrimoque
Carolo Morgenstern, Aug. Ross.
Imp. a Cons. Collegg. et Professori
P. O. in Universitate Litt. Caesarea,
quae floret Dorpati
Livonorum.

34

185v